

Cum dominus ascendentis & Luna fuerint in ascendente, & duæ fortunæ similiter aspexerint sese adinuicem, erit natus multum fortis & potens, nullusq; præteribit eius mandatum.

Dominus domus Solis, dominus domus Lunæ, dominus ascendentis orientales, in angulis aspicientes sese ex bonis locis trino uel sextili, significant fortunam & prosperitatem.

Sol in Medio cœli in signo igneo, & Luna in Tauro, cuius aspectus erit sinister, erit multum potens.

Sol in ascendente, & Luna in quarta, significat dominium.

Sol in ascendente, Medio cœli, uel nona domo bene dispositus, gloriam & excellentiam significat.

Tres planetae fortes in triplicitate ignea, maxime Sol & duo superiores, faciunt natum gloriosum & excelsum.

Iupiter mittens Antiscium ad Medium cœli, significat magistratum, si foelix & saluus fuerit. Si autem Saturnus uel Mars id hostiliter aspiceret, interturbaret præsidium Iouis, & magistratus administrationem.

Si dominus quartæ domus in quarta fuerit, natus erit magnæ autoritatis, & boni nominis.

Si Saturnus in quarta solus fuerit in die, habebit potentiam à Rege, erit custos thesaurorum, homines confident in eo, deponendo apud eum res suas. Si in nocte substantia patrum perdetur, fiet paralyticus. Et si in eius quadrato uel opposito fuerit Luna, habebit infirmitates in membris spiritualibus, & stomacho, & copulabitur seruæ.

Adunatio planetarum in quarto, significat famam perpetuam post mortem permanere in corrupto corpore.

CAPVT VNDECIMVM.

De magisterio nati, & eius opere.



CONSIDERA primo quæ stella de sub radijs Solis egressa mane ante ortum Solis apparuerit, uel si quæ Medium cœli tenuerit, Ictifal cum Luna obtinens per aspectum. Quod si hæc duo, quæ prædicta sunt uni planetæ conueniant, eum solum obserua in magisterio nati. Quod si unum ex prædictis eueniat, sic quod nullus planetarum appareat mane ante orbem, id est, ortum Solis. Sed loco istius aliquis resideat in Medio cœli, aspectum cum Luna habens illum gubernatorem officij elige. Si autem unus mane apparuerit, & alter in Medio cœli locatus fuerit, Lunam aspiciens, uterq; eligendus est. Illum autem qui alterum uincit secundum multitudinem testimoniorum in loco Solis, Medio cœli, uel ascendente præpone, & per utrosq; nati officium determinabis. Quod si mane ante ortum Solis planetam apparentem non inuenies, nec in Medio cœli, gubernatorem Medi cœli accipe. Is tamen natus in suis operibus, tardus efficietur, necnon in suis operationibus maiori in parte ociosus permanebit.

Secundo, cum inuenieris officij gubernatorem, uoluerisq; certo scire, quale erit officium nati, attende planetam officiorum, scilicet Martem, Venerem & Mercurium, nec non signa quæ occupant. Sed si planeta officij aliquam connexionem habuerit cum prædictis tribus, aut cum eorum aliquo, nati officium amplius certificabitur.

Tertio uide quam uim quilibet trium planetarum, scilicet Mars, Venus, Mer-

S 4 curius